

Ergo. — Prob. min. duplici momento : 1° Peccatum mortale avertit et deordinat ab ultimo fine, ut dicemus infra ; peccatum autem veniale deordinat tantum circa media ad finem. Atqui deordinatio ab ultimo fine ex propria ratione est irreparabilis, non deordinatio circa media. Ergo. — Prob. min. Sic se habet ultimus finis in moralibus et practicis, sicut primum principium in speculativis. Atqui error circa primum principium in speculativis est de se irreparabilis ; a quo enim repararetur ? Secus error circa conclusiones, qui ex recta principii intelligentia potest reparari. Ergo deordinatio circa finem ultimum est de se irreparabilis, non deordinatio circa media.

Prob. 2° prima minor. Peccatum mortale tollit gratiam quæ est principium vitæ spiritualis, sicque se habet ut mors animæ ; peccatum autem veniale non tollit gratiam, sed tantum ejus fervorem minuit, sicque se habet ut morbus et languor animæ. Atqui mors non est reparabilis nisi per miraculum, morbus autem et languor est reparabilis viribus naturæ. Ergo.

Dices contra primam partem : Pœna justa adæquatur culpæ ; justitia enim est æqualitas. Unde *Isa.*, xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram : cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Atqui peccatum est temporale et sæpe momentaneum. Ergo illi non debetur pœna æterna.

Resp. Dist. maj. 1. Pœna justa quoad quantitatem seu acerbitatem adæquatur culpæ, *conc.* ; quoad durationem, *nego.* Nam, sicut Aug. dicit lib. XXI *de Civit.*, c. 11, in nullo judicio, etiam humano, requiritur quod pœna adæquetur culpæ quantum ad durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoque perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora brevis, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium, et sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divini.

1. *Ibid.*, a. 3, ad 1.

Dico 3° : Quamvis peccato veniali ex se debeatur tantum pœna temporalis, ut dictum est, attamen non remissum quoad culpam in hac vita, et mortali conjunctum, per accidens punitur in inferno pœna æterna². Ita cum Authore censent S. Bonavent., Richardus, Abulens. et alii plures tam antiqui quam recentiores, contra Scotum et Scotistas.

Prob. Nisi quam pœna remittitur manente reatu pœnæ, alioquin reus pœnam non pateretur, quod est contra justitiam. Atqui in damnatis semper manet reatus pœnæ debitæ peccato veniali non remisso in hac vita quoad culpam. Ergo semper remanet pœna. — Prob. min. Quamdiu manet culpa, manet reatus pœnæ debitæ culpæ. Atqui culpa venialis hic non remissa, nunquam in inferno remittitur. Ergo. — Prob. min. multipliciter : 1° quia damnati sunt simpliciter in termino, existenti autem simpliciter in termino nullius culpæ datur remissio. Dixi, *simpliciter in termino*, ut prævenirem instantiam quæ posset fieri de animabus in Purgatorio, quæ non sunt simpliciter, sed secundum quid in termino. 2° Nunquam culpa venialis remittitur, nisi per voluntariam et condignam retractationem factam ab illo qui peccavit ; quæ voluntaria et condigna retractatio fieri non potest sine actu charitatis et pœnitentiæ, cujus non sunt capaces damnati, utpote obstinati in malo. 3° Nulla culpa potest remitti, nisi per applicationem meritorum Christi ; omnis enim peccati remissio est effectus meritorum Christi. Atqui damnatis nulla fit applicatio meritorum Christi, cum non sint ejus membra, ut docet Author 3^a p., q. 8, a. 3, o, nec pro illis in hoc statu existentibus mortuus sit, ut dixi in prima parte. Et ideo sensus communis fidelium et Ecclesiæ est, quod in inferno nulla sit redemptio. Ergo.

Dico 4° : Peccatum mortale aut veniale dimissum in hac vita quoad culpam, probabilius non punitur in damnatis pœna æterna.

1. *Ibid.*, a. 5, ad 3 ; in II *Sentent.*, dist. 33, q. 2, a. 1, ad 2 *Suppl.*, q. 69, a. 7 ; q. 7 *de Malo*, a. 10.

Fateor S. Thomam in IV *Sentent.*, dist. 21, q. 1, a. 2, quæstiunc. 3, contrariam sententiam tenere; sed sequenti distinctione 22, q. 1, a. 1, ad 5, re attentius examinata, hanc sententiam deserit et nostram amplectitur. Postquam enim dixit, quosdam tenere quod peccatum mortale dimissum quoad culpam punietur in inferno æternaliter, sicut peccatum veniale non dimissum, quæ est sententia quam distinctione præcedenti tenuerat, subjungit: « Sed hoc non videtur simile, quia veniale [non dimissum] ideo in inferno æternaliter punietur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid quod culpam delere possit; sed pœna ex hoc quod solvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt quod pœna cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec est inconueniens quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni diminuatur, usque ad diem iudicii, sicut etiam augetur. » Quibus verbis S. Doctor nedum conclusionem nostram asserit, sed probat et argumenta in contrarium solvit.

ARTICULUS IV

DE POENA DEBITA PECCATO ORIGINALI

§ I

Utrum parvuli morientes cum solo originali peccato patiantur pœnam sensus?

Suppono tamquam certum de fide, parvulos morientes cum peccato originali pati pœnam damni, quia nemo potest consequi vitam æternam, quæ sita est in clara Dei visione, sine gratia, qua carent parvuli morientes sine baptismo. Unde illud *Joann.*, III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et definivit concil. Trid., sess. v, can. 4. Quantum autem ad pœnam sensus, de qua lis est,

Dico: Parvuli morientes cum ipso originali peccato non patiuntur pœnam sensus¹.

Probat 1^o ex Patribus. Greg. Nazianz., cujus tanta fuit autoritas, teste Augustino, ut os Ecclesiæ haberetur, *orat.* XI *in lavacrum*, distinguit tria genera hominum sine baptismo decedentium, quorum alii baptismum contempserunt, alii propria negligentia omiserunt, alii, scilicet infantes, negligentia aliorum caruerunt, et de eorum omnium pœna post mortem sic pronuntiat: « Existimo futurum ut primi quidem, cum aliorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas luant; alii autem pœnas quidem, sed leviores pendant, ut qui non tam animi pravitate quam stultitia a baptismo aberrarint; postremi denique, non cœlesti gloria, nec supplicii a justo iudice afficiantur, utpote qui, licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint quam fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur. »

Hoc autem testimonium ita est apertum, ut nulla tergiversatione possit eludi.

Alter Greg. Nyssen., in *orat. de infantibus immatura morte sublatis*: « Immatura mors infantum, inquit, demonstrat neque in doloribus et mœstitia futuros esse eos qui sic vivere desierunt. »

Probat 2^o ratione. Pœna debet esse proportionata et debita culpæ; id per se notum est. Unde illud *Isa.*, XXVII, 8: *In mensura contra mensuram: cum abjecta fuerit, iudicabis eam.* Atqui pœna sensus non est proportionata nec debita culpæ originali. Ergo.

Prob. min., in qua est difficultas, multipliciter: 1^o Peccatum originale non est per voluntatem personæ, sed per

1. 3^a p., q. 1, a. 4, ad 2; in II *Sentent.*, dist. 33, q. 2, a. 1; q. 5 *de Malo*, a. 2 et 3.

voluntatem naturæ¹. Ergo debet puniri pœna naturæ, et non pœna personæ. — Subsumo. Atqui pœna sensus contingit per passionem propriam personæ, pœna vero damni est pœna naturæ, et quamvis in persona, non est tamen ratione personæ aut suppositi, sed ratione naturæ, quæ invenitur privata gratia seu justitia originali, sine qua ipsi non debetur visio Dei, utpote bonum indebitum principiis naturæ. Ergo.

Prob. 2^o eadem min. Pœna sensus nunquam debetur habituali dispositioni²; non enim aliquis punitur sive a Deo, sive ab hominibus, ex hoc quod sit habilis ad furandum, sed ex hoc quod actu furetur. Habituali autem privationi absque omni actu debetur aliquod damnum; puta qui non habet scientiam litterarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad episcopalem dignitatem. Atqui in parvulo est privatio habitualis, scilicet gratiæ et justitiæ originalis. Item est dispositio habitualis tantum, sine omni actu, nempe concupiscentia quæ parvulum facitabilem ad concupiscendum, ut Aug. dicit, adultum autem actu concupiscentem. Ergo parvulo defuncto cum originali non est proportionata nec debita pœna sensus, sed solum pœna damni, quia videlicet non est idoneus perducere ad visionem divinam, propter privationem originalis justitiæ.

Probatur 3^o eadem min. Ecclesia in imponendis pœnis et satisfactionibus imitatur ordinem et modum divinæ justitiæ peccata punientis. Atqui Ecclesia nullam imponit pœnam aut satisfactionem sensibilem pro peccato originali, nec jubet adultos qui baptismum suscipiunt concipere de illo dolorem aut tristitiam. Ergo censet nullam huic peccato deberi aut respondere pœnam sensibilem in futuro sæculo.

Probatur conclusio ab inconvenientibus. Cum pœna sensus sit æterna et acerbissima, atque pueri qui illam paterentur essent destituti gratia, non posset non generare in illis graves motus impatientiæ, iræ, desperationis, odii

1. In II *Sentent.*, dist. 33, q. 2, a. 1. — 2. Q. 5 de *Malo*, a. 2.

et blasphemiam in Deum. Atqui id admitti non potest nec debet in istis parvulis, estque damnatum in Baïo, propositione 49¹. Ergo.

Neque dicas, idem sequi ex pœna damni. Probabimus enim infra, pueros nullum ex ea dolorem tristitiamve percepturos. Non valet etiamsi dicas, non omnes qui miseris et afflictionibus afficiuntur, motibus impatientiæ, iræ, desperationis, odii et blasphemiam in Deum efferrî. Id quidem verum est in hac vita, ubi miseriam, comparatam miseriam alterius vitæ, vix miseriam nomen merentur, et qui iis affliguntur gratiæ auxiliis adjuvantur ad eas patienter tolerandas; quod non contingit in inferno.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o: *Matth.*, xxv, 41, in extremo judicio dicitur omnibus qui erunt in sinistra: *Discedite in ignem æternum*. Atqui parvuli erunt in sinistra. Duo enim tantum erunt ordines judicandorum, quorum alii ad dexteram, alii ad sinistram collocabuntur. Parvuli non erunt ad dexteram. Ergo ad sinistram.

Resp. hujus celebris textus, cui maxime confidit adversa sententia, tres esse expositiones quas lectoris judicio permitto, ut eam quæ ipsi probabilior videbitur eligat.

1^o *Dist. maj.* In extremo judicio dicitur omnibus adultis qui erunt ad sinistram: *Ite in ignem æternum, conc.*; omnibus omnino, *nego*. Itaque non describitur eo loci forma judicii servanda respective ad omnes omnino, sed tantum judicii discussionis servanda respective ad adultos qui habent propria opera bona et mala. Hoc patet 1^o ex parabolis ibidem, scilicet de talentis, de ovibus et hædis, et ex toto contextu. 2^o Ex causis sententiæ: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc. Sitivi, et dedistis, etc.* Sub quo intelliguntur omnia opera personalia bona et mala. Hæc enim

1. Propositio hæc est: « Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet. »

solis adultis, nullatenus parvulis conveniunt. Si inde inferas: Ergo nec ista verba: *Venite benedicti*, etc. respiciunt parvulos baptizatos, *concedo*. Neque tamen inde sequitur eos non esse vocandos in regnum per aliam sententiam, sicut non baptizatos non esse excludendos per aliam sententiam. Et quamvis Aug., *serm.* 294¹, cap. 3, n° 3, intelligat hunc textum etiam de parvulis, ut dicam infra, attamen lib. *de octo Quæstionibus Dulcitii*, q. 4, intelligit de adultis tantum.

2° Esto hunc locum *Matth.* esse intelligendum etiam de parvulis: nomine ignis (cujus in pœnis summa est acerbitas) omnes pœnæ inferni, quarum pro meritis maxima est varietas, comprehenduntur, sicut nomine regni, in prioris sententia, comprehenditur omnis gaudiorum varietas in regno cœlesti; quamquam, sicut ibi communis erit omnibus clara Dei visio, sic damnatis omnibus erit communis divinæ visionis privatio. Ita Estius in hunc locum, juxta quam interpretationem, nomine ignis intelligitur quidem ipsa pœna et combustio ignis, at non est sola, sed etiam aliæ pœnæ, puta privationis visionis Dei, remorsus conscientiæ, alligationis, incarcerationis, fœtoris, etc.; alioquin, sistendo præcise in verbis, damnati solam pœnam damni et ignis, et nullam aliam subirent. Certum ergo videtur Christum sub nomine ignis comprehendisse omnes inferni pœnas, non omnibus omnes infligendas, sed accommodate et proportionate unicuique juxta meritum exigentiam, hanc illi, istam alteri.

3° Nominis ignis potest intelligi, non pœna ignis specificæ, neque aliqua alia pœna determinate, sed quæcumque pœna in genere et indeterminate. Id sat frequens est in Scripturis. Sic *Psal.* LXV, 12: *Transivimus per ignem et aquam. Ibidem*, 10: *Ignem nos examinasti, sicut examinatur argentum. Deut.*, IV, 20: *Vos Dominus eduxit de fornace ferrea Ægypti*; in quibus locis per ignem intelligitur quæcumque tribulatio. Et *Josue*, VII, 15, cum Dominus jus-

1. Olim, de verbis Apostoli, 14.

sisset Achan igne comburi per ignem, Josue intellexit lapidationem, *ibid.*, 25.

Obj. 2° ex Aug. S. Doctor, *serm.* 294¹, c. 3, n. 3: « Venturus Dominus, inquit, et judicaturus de vivis et mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dextram et sinistram, sinistris dicturus: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus*; dextris dicturus: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. Hac regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur: alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram; non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio; non te offendat qui dexteram quærit. Et teipsum admoneo, recede de medio, sed noli in sinistram. » Idem *Enchirid.*, c. 26; lib. I *de Peccat. meritis*, c. 26, et alibi.

Resp. verbis S. Thomæ, q. 5 *de Malo*, a. 2, ad 1: « Dicendum, inquit, quod nomine tormenti, supplicii, gehennæ et cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum invenitur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi. » Eodem modo dicta Augustini et SS. Patrum interpretantur S. Bonaventura, Scotus, Dionysius Carthusianus, et alii.

§ II

Utrum parvuli morientes cum solo originali peccato aliquam tristitiam vel dolorem percipiant ex privatione visionis beatificæ?

Dico: Parvuli morientes cum solo originali peccato, nullam tristitiam nullumve dolorem percipiunt ex priva-

1. Olim, de verbis Apostoli 14.

tione visionis beatificæ; non sunt tamen beati beatitudine naturali¹.

S. Thomas *probat* primam conclusionis partem duplici medio. Primum est, quæst. 5 cit., quia parvuli non cognoscunt beatitudinem supernaturalem. Secundum, dist. cit., quia, dato quod agnoscant beatitudinem supernaturalem, hæc tamen non erat ipsis ex intrinsicis proportionata.

Prima ratio sic proponitur². Nemo tristatur de amissione boni quod non cognoscit; ignoti enim nulla cupido. Atqui parvuli morientes cum peccato originali, non cognoscunt beatitudinem supernaturalem, scilicet claram Dei visionem qua privantur; quia non habuerunt, nec habent fidem. Ergo.

Secunda ratio D. Thomæ sic proponitur³. Ex eo quod careat aliquis eo quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit rectæ rationis, sed tantum ex hoc quod caret eo ad quod aliquo modo proportionatur: sic nullus sapiens homo affligitur de hoc quod non potest volare sicut avis, vel quod non sit rex aut imperator, cum sibi non sit debitum; affligeretur autem, si privaretur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Atqui, quamvis homo usum liberi arbitrii habens, proportionatus sit ad vitam æternam consequendam, quatenus per actus proprios ex gratia potest illam mereri, et ideo, si ab hoc deficiat, maximus erit ei dolor, quia amittit illud quod suum esse possibile fuit, parvuli tamen nunquam fuerunt proportionati ad hoc quod vitam æternam haberent: quia nec eis debebatur ex principiis naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat, nec actus proprios habere potuerunt quibus tantum bonum consequerentur. Et aliunde sunt rectæ rationis; nulla enim passione, nullo peccato personali obliquatur, sed talis est qualis fuit ante mortem, cum per mortem non mutetur, ante mortem

1. Q. 5 *de Malo*, a. 3; in II *Sentent.*, dist. 33, q. 2, a. 2. —
2. Q. 5 cit. — 3. Dist. cit.

autem nullum actum inordinatum habuerunt. Ergo nihilo omnino dolebunt de ea carentia visionis divinæ; imo magis gaudebunt de hoc quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus.

Nec potest dici quod fuerunt proportionati ad vitam æternam consequendam¹, si non per operationem suam, saltem per actionem aliorum circa eos; quia potuerunt ab aliis baptizari, sicut et multi pueri ejusdem conditionis baptizati vitam æternam consecuti sunt. Hoc enim est superexcedentis gratiæ, ut aliquis sine actu proprio præmiatur. Unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quam in sapientibus hoc quod eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis similibus factæ sunt.

Confirmatur. Nulla ratio videtur esse quare subtrahatur pueris exterior pœna sensus, si attribuitur eis interior afflictio, quæ est multo magis pœnalis².

Prob. secunda pars conclusionis. Beatitudo naturalis stare non potest cum aversione a Deo ut authore naturæ; consistit enim beatitudo naturalis in libera amicabile conversione ac unione cum Deo ut authore naturæ. Atqui parvuli, ratione peccati originalis, sunt aversi a Deo, etiam ut authore naturæ. Ergo. — *Prob. min.* Adam, peccando, aversus est a Deo, nedum ut authore supernaturali, sed etiam ut authore naturali, quia quicumque peccat contra Deum ut authorem supernaturalem, peccat contra ipsum ut authorem naturalem, cum lex naturalis præcipiat obedire omni superiori legitime præcipienti. Atqui talis est in pueris aversio habitualis, qualis fuit actualis in Adam, in quo peccaverunt. Ergo.

1. Ibid. — 2. Ibid. *de Malo*.